

Quid quæritis viventem cum mortuis?

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

24, 1-12

- ¹ **P**rima sabbatórum, valde dilúculo
venérunt mulíeres ad monuméntum
portántes, quæ paráverant, arómata.
- ² Et invenérunt lápidem revolútum a monuménto
- ³ et ingressæ non invenérunt corpus Dómini Iesu.
- ⁴ Et factum est, dum mente hæsitárent de isto,
ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti.
- ⁵ Cum timérent autem
et declinárent vultum in terram,
dixerunt ad illas:
«Quid quæritis vivéntem cum mórtuis?
- ⁶ Non est hic, sed surréxit.
Recordámini quáliter locútus est vobis,
cum adhuc in Galilæa esset,
- ⁷ dicens:
“Opórtet Fílium hóminis tradi
in manus hóminum peccatórum et crucifígi
et die tértia resúrgere”».
- ⁸ Et recordátæ sunt verbórum eius
- ⁹ et regréssæ a monuménto
nuntiavérunt hæc ómnia
illis Undecim et céteris ómnibus.
- ¹⁰ Erat autem María Magdaléne
et Ioáнна et María Iacóbi;
et céteræ cum eis dicébant ad apóstolos hæc.
- ¹¹ Et visa sunt ante illos sicut deliraméntum verba ista,
et non credébant illis.
- ¹² Petrus autem surgens cucúrrit ad monuméntum
et procúbens videt linteámina sola;
et rédiit ad sua mirans, quod factum fúerat.

Verbum Dómini.